

tatis praeseferant, ad mensam hanc ipsis etiam Angelis tremendam, accedere non dubitant.

100. De his ergo hodie controvertitur, utrum in usu S. Coenae idem percipiant, quod digni: hoc est, aequè participes fiant corporis & sanguinis Christi ac digni.

101. Affirmativam contra Sacramentariorum *Φλυαρίας* nostrae tenent ac tuentur Ecclesiae, his nixae rationibus 1. enim disertè inquit Apostolus: Quisquis ederit panem hunc, vel biberit de poculo hoc **INDIGNE**, reus erit Corporis & sanguinis Domini. 1. Cor. 11, 27. & 29. Iam quicumque reum se actione aliqua constituit, is ipsâ illâ actione in rem ipsam, cuius se reum constituit, fuit injurius. At indigni ipsa hac actione, quòd indignè *μάδουσαν* panem **HUNC**, qui est *κοινωνία* Corporis Christi: & bibunt de calice **Hoc**, qui est *κοινωνία* sanguinis Christi, reos se constituunt Corporis & sanguinis Domini. Ergo hac ipsa actione, quod manducant Corpus Christi indignè, & bibunt sanguinem ejus indignè, injuriy sunt in Corpus & sanguinem Christi, quorum se reos constituunt.

102. II. Integrum Sacramentum non tantùm constat signo, sed & re signata, vi Sacramentalis unionis. Indigni accipiunt integrum Sacramentum: teste Apostolo, docente illos indignè manducare de Pane Hoc, & poculo Hoc: Ergo, indigni